Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

evanescit. Cumque alias quaslibet occasiones spiritalium sensuum
mens nostra repperit. rursus aliis inrepentibus
ipsa quoque que apprehense fuerant lubrica volubilitate diffugiunt.
ita ut nullam constantiam sui retinens animus. nec potestate propria
sanctarum cogitationum possidens firmitatem. Etiam tunc cum eas videtur
utcumque retinere fortuitu illas et non de industria concepisse credatur. Quomodo
enim ortus earum nostro arbitrio putabitur adscribendus. quarum perse-
verantia non consistit in nobis. Sed ne forte sub huius questionis indagine
accepto narrationis ordine longius evagantes expositionem propo-
sitam super orationis statu diutius retardemus. suo hanc tempori re-
servantes. de qualitate orationis instantissime sciscitamur informari. — de qualitate principali sermonis instrui.
presertim cum nullo tempore nos ab eo cessare beatus apostolus admoneat
dicens. sine intermissione orate. Et ideo primum de qualitate eius desideramus
institui. id est qualis debeat emitti semper oratio. deinde qualitatem hanc
eandem quemadmodum possidere. vel exercere sine intermissione pos-
simus. Non enim parva cordis intentione eam perfici posse. et
experientia cotidiana et persecutio tue sanctitatis ostendit. qua
finem monachi. ac totius perfectionis culmen in orationis consu-
matione consistere definisti. Isaac. Universas orationum VIII.
species. absque cordis ingenti atque anime puritate et illu-
minatione sancti spiritus. arbitror comprehendi non posse. Tot enim sunt.
quot in anima una immo in cunctis animabus status queunt quali-
tatesque generari. Et ideo licet sciamus nos pro hebetudine cordis
nostri universas orationum species non posse perspicere. tamen in
quantum mediocritas experientie nostre. assequi prevaluerit digere-
re eas utcumque temptabimus. Secundum mensuram namque puritatis in qua
mens una quaeque proficit. et qualitatem status in quo vel ex accidentibus incli-
natur. vel per suam renovatur industriam. ipse quoque momentis singulis
reformantur. Et idcirco uniformes orationes emitti semper
a nemine posse certissimum est. Aliter enim quisque supplicat.